

Et circum adfusi cœtus utriusque suorum
 Alta petunt pariter : gemino lux aurea vultu
 Emicat , & late ætherias procul imbuit auras ;
 Namque Venus , summique altus Regnator olympi
 Frontibus ingenuis divinum adflarat honorem .
 Jamque locum attigerant avidi , camposque beatos .
 Protinus adsurgunt venientibus agmina Divum
 Omnia , & Heroes consanguinitate propinqui
 Procurrunt , junguntque manus , atque oscula figunt ,
 Quos Venus adfusos discriminat : area campo
 Se pandit vacua in medio , partesque recedunt
 Divisi in geminas Heroes , at aggere ab alto
 Adsistunt , spectantque insuetam Numina pompam .
 Hinc Divæ ad nutum campo procedit aperto
 Corarides juvenis , Pisaurias inde puella ,
 Ille gravis vultu , hæc suffusa pudore modesto .
 Interea auratam pharetra e fulgente sagittam
 Aliger Idalius deprompsérat , & contentis
 Aptarat nervis , flexumque adduxerat arcum .
 Ergo locum capit , & postquam videt esse propinquos
 Emittit nervis telum stridentibus : auræ
 Dant sonitum , celeri cuspis volat ignea cursu ,
 Perque latus juvenis , perque intima pectora ad imum
 Cor penetrat ; tum deinde iterum progressa per auras
 Evolat , & simili percellit vulnere sponsam .
 Dant plausum Superi : at geminis novus æstuat ignis
 Pectoribus , flamma ardenti prorumpit ab ore .
 Illi autem accedunt ; æterno & fœdere dextras
 Conjungunt Divis tot testibus , accipiuntque ,
 Dantq; fidem , & dulces spondent celebrare Hymenæos .
 Tum vero accurrit , geminis & florea serta
 Frontibus imponit juvenis , qui raptus ab Ida .
 At Charites blandæ , & Nymphæ , aligeriq; frequentes
 Alternant choreas pueri , atque incendia miscent .